15.

IOANNIS ADOLPHI WEDELII

FACVLTATIS MEDICAE

H. T.

DECANI

PROPEMPTICON INAVGVRALE

DE

FVRNO CHIMICO POLYCHRESTO.

IENAE

LITTERIS IO. FRIDERICI RITTERI.

I. N. I.

BONAM foci furnorum chimicorum ſtructuram nuper exhibuimus, quomodo vero conus truncatus inuerſus, cuius minorem baſin circulus craticulæ ferreus conſtituit, facile formari queat, iam addere conſultum duximus. Hoc itaque fine aſſerculus quadrangularis circulo ferreo dicto ita eſt aptandus, vt omnes anguli circumferentiam circuli internam contingant, inferna autem aſſerculi ſuperficies, ferramentis craticulæ incumbat, altera autem, ſeu ſuperior, æqualem cum annulo ferreo altitudinem habeat. Hærenti ita in circulo ferreo aſſerculo, in illo puncto, quod centro circumferentiæ circuli laudati coincidit, foramen inſculpatur, mediocrem ſtylum ferreum admittens.

Porro ſumatur aſſer mediocris craſſitiei, vnum digitum latior, quam ſemidiameter internæ furni circumferentiæ, longitudinem autem æqualem altitudini furni, ſuper craticulam exiſtenti, habens. Inferiori huius aſſeris extremitati, loco vnum digitum a latere diſtante, ſecundum longitudinem aſſeris inſeratur, in medio craſſitiei, ſtylus ferreus, in foramen aſſerculi quadrati, in circulo ferreo craticulæ hærentis, libere intrare valens, ita vt $\frac{3}{4}$. pollicis promineat. Ex puncto ſtyli medio in aſſeris infima extremitate ducatur linea, æqualis ſemidiametro circumferentiæ

circuli ferrei externæ; in altero afferis latere, a ftylo ferreo remotiori, puncto notetur altitudo, a craticulæ foci fuperficie vsque ad extremitatem fuperiorem oftii eiusdem; atque poftmodum ab extremitate lineæ, femidiametro æqualis, ad hoc punctum altitudinis ducatur linea, per quam ferra mediante particula afferis inferior refecanda eft. Atque ita habebitur modiolus ligneus, cuius apta circumrotatione, conus ille truncatus exacte formari poteft.

Nam fi ftylus ferreus afferis huius inferatur foramini afferculi quadrati, in circulo ferreo craticulæ hærentis, & oppofitum afferis latus fuperius internam fuperficiem furni, quam finire circulus ferreus ibi collocatus folet, contingat, tunc circumrotando afferem circa ftylum laudatum, lutum molle, madefacto prius affere fufficiente aqua, ita lateribus apprimitur, & quod fuperfluum luti eft, remouetur, adhærefcens huic, vt conus truncatus defideratus emergat. Quod fi vero nondum fatis æqualis interna coni truncati fuperficies euaferit, fed foueæ quædam adhuc fe oftendant, lutum foueis inducendum & applicandum, & idem labor rotationis fufcipiendus, eft, donec omnia rite fe habeant.

His iam traditis, ad furnum chimicum polychreftum defcribendum pergimus.

Paratur autem hic ex laminis ferreis & cylindri caui habet figuram, cuius bafeos diameter eft xv. pollicum. Inferior bafis fundo, ex fimili lamina confecto, tegitur, & tribus pedibus ferreis, fex pollicibus altis, infiftit. Totus cylindrus cauus eft xxiv. pollicum altus. Cinerarium iv. pollices altum eft, cui ftatim incumbit craticula. Fundus ab infima aperturæ cinerarii parte diftat $\frac{1}{2}$. pollicem. Ipfius vero aperturæ cinerarii altitudo eft $3\frac{1}{2}$. pollicum, latitudo autem vi. pollicum. A craticulæ fuperficie fuperiori in-

fima

ſima pars oſtii foci III. pollices diſtat. Oſtium foci V. pollices altum & VI. pollices latum eſt. Oſtium foci æque ac cinerarii porta mobili gaudere debet, vt pro lubitu claudi & aperiri poſſit; & cinerarii porta ſeorſim, nuper dicto modo, adornari debet, pro aeris acceſſione determinanda.

Superiorem cylindri huius caui extremitatem exterius ambire debet circulus ferreus $\frac{1}{12}$. pollicem craſſus & vnum pollicem altus, ibique firmari, ne facile incuruationem ibi ſubeat cylindrus. In interna extremitatis huius parte alius circulus ferreus poni debet, cuius interior diameter ſit XIII. pollicum, altitudo autem I. pollicis inferior vero extremitas marginem habeat, exteriora verſus vergentem, tantæ latitudinis, vt recipi adhuc ab extremitate cylindri caui queat, licet paulo difficilius. Hic itaque confectus indatur aperturæ extremæ, præmisſo margine, eo vsque, vt annulus hic internus cum externo æqualem ſitum horizontalem habeat. Hoc modo oritur cauitas inter annulum internum & externum, quæ recipiendo operculo poſtmodum apta eſt. Infra vero internum annulum ſpatium ita conceditur, quod luto repleri debet, vt calor furni melius retineatur, & officium ſuum præſtet.

Exterius in lateribus, circa medium fere, furno annuli ferrei mobiles anneƈtuntur, vt his mediantibus hinc inde portari queat, ſi opus ſit.

Omnibus his ita paratis reſtat, vt & craticulæ & reliquarum partium, ad focum pertinentium, ſtructura perficiatur, vt & tota interna furni ſuperficies luto conueniente obducatur, quod omne ex nuper dictis, & iam allatis, præſtari poterit facile. Hæc tamen differentia in iam parando furno adhuc obſeruanda eſt, vt coni truncati baſis maior in tantum imminuta hic eſſe debeat, vt vndiquaque ad pollicis

cis magnitudinem, interiora verſus, vltra circumferentiam internam furni reliqui promineat hæc particula, eo conſilio, vt craticula maior & mobilis huic eminentiæ horizontaliter imponi, & pro lubitu iterum remoueri queat;

Obtineri hoc facile poterit, ſi aſſerem ſuperius laudatum pro cono hoc efformando, ita fabricemus, vt circumrotatione hanc quoque eminentiam faciat.

Vſus huius furni reuera inſignis eſt, non ſolum enim balneo Mariæ inſeruit, ſi ahenum cupreum, aqua replendum, ſuperiori parti immittatur eo vsque, vt altitudinem debitam focus retineat. Arenæ ignis autem obtinetur, ſi catinum ferreum, cui arena immittitur, ſimili modo collocemus. Veſica cuprea non minus ad deſtillandum intrare ſic poteſt; verum etiam fuſorius furnus euadit, ſi craticulam mobilem efficiamus, & ante dictæ prominentiæ imponamus, vbi focus ordinarius, cinerarii officium tunc ſuſcipit, aperta porta mobili.

Cauitati illi circulari, in ſummitate furni exiſtenti, arenam ſubtiliorem, vel cineres cribellatos, ſi indamus, & operculum ferreum ita factum, vt inferiore parte intrare in hanc cauitatem queat, imponamus, & inſinuemus, ſi operatio finita fuerit, prunæ adhuc reſiduæ extinguuntur, & integræ permanent, porta foci & cinerarii mobili ſimul clauſa.

Craticula mobilis optime ita conficitur, & conſeruatur, ſi circulum ferreum fieri curemus, qui eius eſt magnitudinis, vt libere immitti in furnum confectum ad prominentiam commemoratam vsque queat, $\frac{1}{12}$ pollic. craſſus, & 1. pollic. altus, & marginem interiora verſus $\frac{3}{4}$ pollic. prominentem obtinens; huic ferramenta æqualiter quadrangula, ſemipollicem lata, aptantur, vt parallelam diſtantiam ſufficientem, vt alias conſuetum eſt, obtineant, ſi in

margi-

marginem interiorem circuli ferrei collocentur, & luto apto firmentur, ne propius ad ſe inuicem accedere queant, verticalis enim circulus impedit, quo minus exteriora verſus moueri queant.

Occaſionem ad hæc proferenda præbuit Disſertatio inauguralis DE PARALYSI, Clariſſimi Medicinæ Doctorandi

DIDERICI KANNENGIESSER.

PRIMAM lucem is adſpexit Bremæ, libera et inclyta S. R. G. Imperii ciuitate, anno M DCC XVII. d. XVI. Ianuarii, genitus a Patre Conſultisſimo Dn. LVDERO CHRISTOPHORO KANNENGIESSER V. I. D. Practico Celeberrimo et Præfecto *(Stadt-Voigt)* ibidem a Rege Magnæ Britanniæ et Electore Hannouerano conſtituto; et Matre CATHARINA MARIA, nata GRELLEN, CONRADI GRELLEN, mercatoris quondam florentiſſimi, et Collegii ſeniorum membri digniſſimi, filia, quæ per clementiam Dei adhuc in vita eſt ſuperſtes.

Horum dilectiſſimorum Parentum cura factum eſt, vt non ſolum per ſacrum Baptisma Eccleſiæ Chriſti fuerit traditus, ſed etiam, tempore tenellæ ætatis præterlapſo, ſcholam Patriæ Latinam diligentur frequentaret, vbi ad rei chriſtianæ capita intelligenda, atque ad elegantes litteras percipiendas ſenſim paulatimque fuit inſtructus.

Curriculo ſtudiorum ſcholaſticorum abſoluto, anno M DCC XXXIV. Rectore Magnifico, SCHVMACHERO, D. et Prof. S. S. Theologiæ, Ord. iam beato, ad eorum numerum fuit relatus, qui in Gymnaſio patriæ illuſtri ad altiora præparantur.

Ad ſtudium medicum inprimis ſe accommodare mens et animus fuit, hinc ex ore Excell. Dn. KRAEGELII Med. D. et Phil. et Matheſeos P. P. Ord. Matheſeos præcepta hauſit. Excell. quondam von RHEDEN, Med. D. et P. P. O. et Reipublicæ Bremenſis Phyſicus, ad Materiam Medicam ipſum inſtruxit. Ab Excell. quondam Dn. THISSOT, Med. D. et P. P. O. nec non Reipublicæ patriæ Phyſico, audiuit Chimiam, et Boerhaauii Aphoriſmos explicatos.

Excell. MEIERVM, Philoſ. et Med. Doct. et P. P. Ord., nec non R. P. Bremenſ. Phyſicum laudat ob dexteritatem, in Collegio Practico ad Boerhaauii Aphorismos adhibitam. Excell. quondam HENCKENII, Med. D. et P. P. O. et Phyſici Bremenſis Collegio Phyſiologico, vt et lectionibus publicis de Præſcribendis Formulis diligenter interfuit.

Excell.

Excell. Dn. RVNGIVM Med. et Phil. Doct. et P. P. O., Facult. Med. Seniorem et R. P. Bremensis Physicum, in Collegiis Logicis, Physicis, Anatomicis, Physiologicis audiuisse, grata mente recordatur.

Hos suos Praeceptores diligenter quoque comitatus est, dum aegrotos in Nosocomio visitarent, et medicamenta praescriberent. Permultas etiam cadauerum humanorum sectiones, ab iisdem artificiose institutas, adspexit.

Dn. RVNGE, patriae ciuitatis Chirurgi ordinarii famigeratissimi, operationibus chirurgicis optime institutis diligenter adfuit, praeceptaque chirurgica saluberrima ab eodem hausit.

Anno M DCC XLII. almam nostram Academiam salutauit, et ab Excell. Dn. REVSCHIO P. P. O. t. t. Prorectore Magnifico, in ciuium academicorum numerum est receptus.

Praecepta Logices explicare audiuit Illustr. Consil. Aul. DARIES.

Ab Illustr. Consil. Aul. HAMBERGERO fidelissime instructus est Physicis, Mathesi tam pura, quam Applicata, Physiologia, Pathologia, Semiotica, Materia Medica, Methodo Medendi, Chirurgia, Praescriptione Formularum; et in Lectionibus publicis, Botanicis, Mathesi ad corpus humanum applicata. Non minus eiusdem artificiosam in cadauere humano institutam Sectionem conspexit.

Illustr. Consil. TEICHMEYERI, iam beati, Collegio Physico Experimentali interfuit, et publice Botanicam docentem audiuit.

Illustr. Consil. Aulic. HILSCHERI Lectionibus publicis, in quibus Semioticam et Materiam Medicam explicauit, interfuit; priuatim autem ex Collegio practico insigne hausit emolumentum.

Meis quoque Lectionibus publicis Practicis, et de Methodo Medendi, vt et priuato de Morbis infantum, interfuit sedulo.

Sufficienter ita maturatis studiis academicis, de ambiendo gradu in nostra arte cogitauit. Modesta hinc eius petitione facta, locum ipsi in candidatis concessit facultas nostra, et tentaminibus rite institutis, dignum eundem deprehendit. Concessit itaque vt d. III. Iunii meo sub praesidio laudatam dissertationem inauguralem haberet.

Ad hunc actum solemnem itaque Magnificum Academiae Prorectorem, Illustrissimos S. R. I. Comites, Patres Academiae Excellentissimos, omniumque ordinum Hospites honoratissimos, vt splendor ipsi accedat maior, collegii mei nomine submisse, eaque, qua possum, obseruantia, et humanissime, inuitatos volo. P. P. sub sigillo Facultatis.

d. XXX. Maii M DCCX XXXV.

(L. S.)